



• S • G • B • T • B •



• 1 • 6 • 8 • 1 •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



32
COLLEGII SECUNDI
In Augustanam Confessionem
DISPUTATIO XVII.

continens
ANTIŒESIN ARTICULI IV.
DE QUÆSTIONE,

An omnes fideles certi
sint de sua iustitia,

Publicè in Illustri Academia VVittebergensi

Loco ordinariae

Proposita,

P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI, SS. Th.

D. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito:

R E S P O N D E N T E

M. A B R A H A M O Sehman Oschatziensi

SS. Theol. studioso & Elector. alumno.

In Auditorio Majori ad diem 11. Febr.

Horis Antemeridianis.

ANNO ut Gallat. 5. vers. 12.

Vt InaM absCInDantVr, qVI Vos InqVletant.

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH, Acad. Typogr.

COLLEGI SECUNDI
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO XXVI

CONSENSUS

ANTIOCHINARTICULI IV.

DE QUÆSTIONIBUS

Ad omnes fideles ecclesie

sunt de sua iustitia

Publice in Magistri Academiae Vitebergensis

Loco ordinarius

Proposita

PRÆSIDIO

JACOBO MARTINI SS. TH.

D. & Profell. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Triumph. Arch. Propositor

RESPONDENTE

M. ABRAHAMO LINNO SS. TH.

SS. Theol. Licentio & Doctoro

In Auditorio Majori ad diem 11. Febr.

Horis Academicis

ANNO MDCCLXXII

Vitæ-Magistratus, VI. Vos Impulit

WITTEBERGÆ

Typis Herdiani SAOMNIS AVERRACH, Act. Typogr.





Continuatio.

Becani quæstio nona est: *An fides donetur solis prædestinatis*: Et decima: *An fides amitti possit*. Verùm quia & nos *illam* negamus, & *banc* affirmamus, proindeq; Jesuitam ad-
versarium non habemus, brevitati studentes (licet quæ-
dam in argumentis Becani moveri & examinari pos-
sent) Jesuitam cum Calvinianis in utraq; committi-
mus, & ad undecimam progredimur, qua quæritur:
An omnes fideles certi sint de salute? Etsi enim de illâ
aliquoties in præcedentibus actum sit, nihilominus o-
peræ pretium erit, quæ hic ab adversario seorsim di-
sputantur, lustrare & examinare.

T H E S E S.

I. Statim autem in frontispicio disputationis hujus ob-
servandum & tenendum est, quod Becanus Lutheranos &
Calvinianos sophisticè misceat: cum interim ipsum latere
nequeat, nos quidem in quæstionis hujus affirmativa consen-
tire: non verò in quibuslibet argumentis. Sed audiamus So-
phistam.

II. Undecima propositio est, inquit, omnes fideles certos es-
se de sua Justitia, perseverantia & prædestinatione. Asseritur à
Calvino in Antidoto Concil. Trident. sess. 6. Et apertè sequitur ex
ipsius fundamentis, quæ sunt hæc: PRIMUM, fidem esse propriam
electorum. ALTERUM, fidem nunquam amitti. TERTIUM,
sola fide hominem justificari. QUARTUM, qui fidem habet, cer-
tum esse de sua fide. Hinc sequitur, si is, qui fidem habet, certus
est

A 2

est

est de sua fide, certum quoque esse de sua justitia, quia sola fides justificat: certum de sua perseverantia: quia fides non amittitur: certum de sua electione, quia fides proprie electorum est.

III. En his primis statim verbis instituitur Sophistica illa, de qua diximus, mixtura. Priora enim duo fundamenta nequaquam Lutheranorum sunt, sed Calvinianorum propria: Posteriora saltem affirmamus & probamus. Unde consequentiae, quas nectit Becanus, ex Lutheranorum sententia, (primam exceptam) non fluunt. Concedimus quidem fidelem certum esse de sua salute, sed ex aliis principiis, partim in praecedentibus adductis, partim adhuc in subsequendis adducendis.

IV. Progreditur Becanus ad refutationem nostrae sententiae, quam duplicem instituit, primum generalem, deinde specialem sive particularem. Priorem §. 2. his verbis: *Hæc propositio refellitur ex iisdem principiis, quibus nititur. Nam tria priora manifestè falsa sunt, ut probatum est hætenus. Quartum porro sive verum sive falsum sit, nihil ad rem facit: Nam etsi is, qui fidem habet, certus esset de sua fide, non ideò quoque certus esset de sua justitia, si sola fides non justificet, nec certus de perseverantia, si fides amitti posset, nec certus de prædestinatione, si fides communis reprobris & prædestinatis.*

V. De duobus prioribus repetimus, illa nihil ad nos, cum Calvinianorum sint propria. Tertium nullo solido fundamento vel argumento refutavit Jesuita, contrarium a nobis factum est: qui omnes ejus responsiones resolvimus & elenchis confutavimus. Videantur disputationes præcedentes & cum primis decima tertia. Quartum quidem nihil ad rem faceret, si sola fides non justificaret: Jam verò probavimus sufficienter, hypotheticam hanc esse falsam, & oppositam veram, nempe solam fidem justificare. Ergò quia hæc vera est, & quilibet fidelis certus de sua fide, non potest non esse certus de sua justitia. Deinde, licet fides amitti possit, non tamen inde inferri potest statim dubitatio aliqua. Nulla enim est consequentia: Fides potest amitti, Ergò dubitandum, an retineri possit. Tandem, fidem communem esse reprobris & prædestinatis, non dici-

dicimus: sed fieri potest, ut aliqui credant ad tempus, quando verò credunt, & quatenus credunt, reprobi censendi non sunt.

V. I. Dehinc progreditur Becanus §. 3. ad specialem refutationem. Deinde, inquit, refellitur speciatim quoad singulas partes, & quidem prima pars, de certitudine justitiæ & remissionis peccatorum aperte pugnat cum Scripturis: Ecclesiast. 9. v. 1. Nescit homo, utrum odio vel amore dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta. Ecclesiast. 5. v. 5. De propitiato peccato noli esse sine metu. Psal. 18. v. 13. delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine. Proverb. 21. v. 2. Omnis via viri recta sibi videtur, appendit autem corda Dominus. 1. Cor. 4. v. 4. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. Qui autem judicat me, Dominus est. Hæc & similia Scripturæ testimonia proferunt Catholici contra certitudinem præsentis justitiæ. Ego primum & ultimum duntaxat urgebo.

V. II. Antequam autem illa, quæ à Becano potissimum repetita & nostræ sententiæ opposita sunt, videamus, prius ad ista S. Scripturæ dicta respondebimus, quæ nudè sine responsionibus adducuntur. Quod ergò attinet dictum Eccles. 5. v. 5. laborat illud vitio vulgatæ versionis. In Græco enim sic habetur: *ὅτι ἐξ ἰλασµῶν µὴ ἀφοβῶ γίνῃ ἐν πλεονασµῶ ἡγορευῆναι ἀµαρτίας ἐφ' ἀµαρτίας*: Arias ad verbum vertit: De propitiatione ne sine timore sis in abundantia ad addendum peccata super peccata: sensus itaq; est; non esse abutendum fiducia remissionis peccatorū ad perseverandū in peccatis. Quæ v. consequentia: nemo abutatur cōfidentia gratuita remissionis peccatorum, ut securè in peccatis perseveret: Ergò nemo potest certò statuere sibi remissa esse peccata? nulla sanè: & Jesuitæ illud ad certitudinem & *ἡγορευῆναι* fidei perfidè torquent.

V. III. Dictum Psalm 18. vel potius 19. v. 13. nihil plane ad rem facit. Ideò enim petit David, & nos cum ipso petere debemus ab occultis quoque nos mundari: quia scimus, Christi sanguinem nos mundare ab omni peccato. Et

quando ita petimus, certâ fiduciâ credimus, nos remissionem peccatorum, etiam occultorum, impetraturos. Sicut enim nobis non ideo peccata remittuntur, quia nobis sunt cognita: sic neque incognita non remittuntur, quia sunt incognita: Sed tam hæc quàm illa remittuntur per & propter solum Christi meritum, fide apprehensum. Quare potius (ut rectè monet D. Salomon Gesnerus in hunc locum) opponamus sententiam hanc Pontificiæ carnificinæ & tyrannidi, quæ in confessione privata seu auriculari exigit omnium peccatorum confessionem & enumerationem: ac nisi omnia peccata recenseantur, absolutionem frustra factam perhibet. Huic, inquam, carnificinæ conscientiarum, hanc Davidis sententiam opponamus. Inde enim constat, veram pœnitentiam Davidis exemplo in eo consistere, ut peccata nostra coram DEO seriò agnoscamus & deploremus: Et quia adeò perversa nostra est natura, ut multa sint peccata occulta & errata ignorantia, quæ observare & enarrare non est possibile, vel etiam necessarium: utiq; in genere cum Davide oremus, ut DEUS pro immensa sua misericordiâ etiam illa peccata nobis condonet, quæ nescii & ignorantes subinde committimus.

IX. Ita quod ex Proverbior. 21. v. 2. allegatur, nihil ad rem. Agit enim Salomon de illis mundi hujus vel sapientibus vel sectatoribus, qui extra verbum Dei vagantur: illi quidem sibi imaginantur omnia dicta sua & facta iusta, & recta esse. Falluntur autem, inquit Salomon; solus enim Dominus dirigit corda: *quasi dicat*, (inquit Franciscus Vatablus in glossa) *qui infundit bonam voluntatem, est Dominus. Si autem quæras, quo medio Dominus corda dirigat, & bonam voluntatem infundat? Respondemus: verbo suo.* Hinc vertit Lutherus: Einem jeglichen düncket sein Weg recht seyn/ aber allein der H. Er macht die Herzen gewiß: Et addit in glossa marginali: Was man thut aus Gottes Befehl / da ist man gewiß / daß recht sey / außer Gottes Wort ist alles dunckel wahn / vnd ungewiß.

X. His

X. His ita expeditis, videamus quomodo urgeat Becanus primum & ultimum dictum allegatum. Sic autem pergit: *Inquit ergo Salomon: Nescit homo utrum odio vel amore dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta, eo quod universa aequè eveniant justo & impio. Verba clara sunt & rectè explicantur à D. Hieronymo & aliis, sed conatur Calvinus lib. 3. Inst. cap. 2. §. 38. se expedire. Ait Salomonem non loqui de notitia fidei, sed de ea, quæ haberi potest ex eventu externo, ut sensus sit: Ex beneficiis & flagellis, quæ homini quotidie obveniunt à Deo, non posse cognosci, quos diligat Deus, aut quos odio prosequatur. Quare? Quia tam beneficia, quàm flagella aequè eveniunt bonis & malis.*

XI. Sanè verba non adeò clara sunt. Est enim locus ille depravatissimus, adeò ut vix detur alius, in quo tam manifesta vulgatæ versionis deprehendantur peccata. Verba Hebræa sunt:

אֲשֶׁר יִצְדִּיקוּם וְהַחֲכָמוֹם וְעַבְדֵי הֵם הָאֱלֹהִים גַּם-אֶהְיֶה
גַּם שִׂנְאָה אֵין יוֹדַע בֵּינָהּ הָאֵדָם הַכֹּל לִפְנֵיהֶם:

Verbum verbo ita reddidit Arias Montanus: *Quia justis & sapientes & servitia eorum in manu Dei: etiam amorem, etiam odium non sciens homo, omnia ad facies eorum.* Hieronymus olim, quem allegat Becanus, sed frustra: *Quia justis & sapientes & opera eorum in manu Domini. Et quidem charitatem, & quidem odium, non est cognoscens homo omnia in facie eorum.* Franciscus Vatablus: *Justis & sapientes & eorum servi sunt in manu Dei, quodq; pariter amorem & odium ignorat homo, ipsi autem (DEO) sunt omnia proposita.*

XII. En distincta hic peccata occurrunt. Primum dictio \square nequaquam significat vel etiam significare potest: *Et tamen;* Quando itaq; sic vertitur, sensus longè fit alius, atq; est in Hebræo. Mercerus: *Latine \square etiam, repetitum, vertendum esset, tam amorem quam odium nescit homo.* Deinde illud alterum: *Odio vel amore dignus sit,* diversissimum est ab Hebræi textus hoc sensu: *non sciens homo tam amorem quam odium. Dignum esse Hebræus ignorat.*

rat. Tertio hæc vulgatæ versionis in futurum reservantur incerta: longè aliter in Hebræo: *ad faciem eorum, sive coram eis, sive ante eos.* Inquis, phrasi illa aliquando significari futurum? sit ita. Ubi verò hæc: *reservari & incerta?* Hebraicè non leguntur.

XIII. Quæ cum ita sint, ut à nemine negari possunt, certum est, quod diximus, locum hunc esse depravatissimum, adeò ut manifestior audacia vix deprehendatur: proindeq; ex ejus peccatis frustra quærat Becanus sui erroris patrocinium.

XIV. Verissima enim est allegata Calvinii interpretatio. Siquidem sensus hujus dicti nullus est alius, quam hic ipse: *Ex felicitate & infelicitate hominum non posse certè statui aut judicari, num aliquis coram Deo sit justus an injustus, pius an impius, carus an exosus.* Id quod contextus disertè docet ac convincit, cum statim subjicit. *Omnia consimiliter omnibus: eventus unus est justo & impio, bono & mundo, & immundo, sacrificanti quoq; & ei qui non sacrificat: sicut bonus, sic qui peccat: & is, qui jurat, est sicut is, qui juramentum timet.*

XV. Id quod disertè quoque restatur paraphrasis Chaldaica: Cujus sensus hic est: *Quod justis & sapientibus & discipulis eorum, qui subditi sunt eis, traditi sunt in manum Domini, & ab eo decretum est omne, quod erit in diebus eorum; etiam amor, quo dilexerit eos vir, & omne odium, quo eos persecutus fuerit: non est qui sciat id, quod erit homini: omne in providentia decretum est, ut sit ante eos.* Et Aben-Ezra: *Quæ homines amant, aut oderunt, prospera sc. vel adversa sibi eventura, nemo est, qui sciat: omnia sunt ante illos: id est, (addit Johannes Mercerus) longè ante singula decreta sunt, aut bona aut mala, quæ cuiq; sunt eventura, itaq; non est, quod ob illa se quisquam cruciet, sed boni omnia consulat, & se suaq; omnia sibi persuadeat in manu Dei esse.* Ergò nihil de negotio salutis hic agitur. Et post pauca pergit Mercerus: *Ubi cavendum, ne cum vulgato interprete vel erres, vel inde errandi cum Sophistis occasionem sumas. Equidem non existimo vulgatum interpretem, quod*

quod ita hunc locum vertit, nescit homo amore ne an odio dignus sit, ita intellexisse, ut voluerit Salomon, quod Theologastri credunt, dubitandum esse de amore Dei in nos, nec debere nos in conscientias nostris certos esse, quum hoc aperte sit contra multa Scriptura loca &c.

XVI. Pergit Becanus: Si ergo queras ex Calvinio, an homo possit certo cognoscere, se justum esse & à DEO diligi, respondebit cum hac distinctione, posse eum cognoscere per internam fidem, non posse per externa beneficia.

XVII. Respondemus, nullâ cogi necessitate Calvinum, ut ex supposito hoc Salomonis dicto ita respondeat. Non enim Salomon agit hoc loco de certitudine, qua quis de propria sua salute certus esse queat: sed agit vel de iudicio alterius, vel etiam de illis, quæ vel nobis, vel aliis bona aut mala in hac vita contingere possunt: ut arguunt jam positæ declarationes. Ubi ipsimet ultro largimur, ejusmodi iudicium non nisi sub conditione fieri posse ac debere, proindeq; absolutum nequaquam esse.

XIIX. Hæc quia immota veritas est, per se corrumpit prima responsio Becani, quam §. 5. subjicit his verbis: *Sed facile refellitur Calvinus. Primò ex scopo & argumento Salomonis. Voluit probare non posse hominem in hac vita cognoscere de seipso, an diligatur à Deo nec ne. Probavit autem hoc modo: Si id posset cognoscere, maxime ex Dei beneficiis cognosceret: At hinc non cognoscit, cum DEI beneficia sint communia bonis & malis: Ergò non potest cognoscere.*

XIX. Primum nos negavimus ac probavimus scopum illum Salomonis non esse, ut ostendat, quomodo quis aliquid certi sive incerti statuere possit de propria sua salute: Sed agit de iudicio alterius, vel etiam de hujus vitæ eventibus contingentibus. Ut ergò à scopo aberrat Jesuita; Sic argumentum, quod necit, planè Sophisticum est, ac propterea nequaquam Salomonis sapientissimi, sed Jesuitæ & Impostoris fraudulentissimi. Quomodo enim probabitur minoris ratio; quâ dicitur: *Cum beneficia DEI sint communia bonis & malis: in qua totus nervus argumenti fundatur ac consistit?* Nam non præter

B

rem.

rem quæro : Si beneficia Dei sint communia bonis ac malis & omniane, an quædam & si omnia. Falsum sumitur : quia externa duntaxat & temporaria. Sunt verò interna quædam & spiritualia, quibus nihil cum impiis commune. Si quædam duntaxat : tum sanè non probatur, quod erat probandum. Nam etiam si quædam beneficia communia sint; non tamen sequitur, ex nullis beneficiis cognosci amorem : cum cognosci possit ex iis, quæ non sunt communia. Et sic inanis esset Salomonis sapientissimi argumentatio.

XX. Hæc adeò diserta ac manifesta sunt, ut vel ab ipso Becano negari nequeant : Sic enim pergit : *In hoc Syllogismo supponit Salomon, non posse eum id cognoscere per internam fidem, alioqui Major propositio non esset sufficienter distributa. Deberet enim distribui hoc modo : Si homo possit certò cognoscere se esse justum & à DEO diligi, vel id cognosceret per internam fidem (& sic per interna & spiritualia beneficia, ut nos locuti sumus) vel per externa signa. At Salomon omisit prius membrum de interna fide : Ergò censuit nihil ad rem pertinere.*

XXI. Eni ipsemet Becanus fateri cogitur, quod diximus, rationem minoris nullam esse, quando ultrò agnoscit, majorem propositionem non esse sufficienter distributam. Quod autem addit, *Salomonem presupponere, non posse aliquem id cognoscere per internam fidem* : verba sunt : quæ nullo indicio probare potest, si suam sententiam defendere velit, Salomonis nimirum scopum hunc esse : quod velit probare, *non posse hominem in hac vita cognoscere de seipso, an diligatur à DEO.* Stante enim hac hypothese, dicto hoc, ex Salomone adducto, probare debebat contra nos, id fieri non posse : cum Lutherani statuamus, id fieri omnino posse per fidem. Ergò aut frustra allegatum est hoc dictum : aut eo probandum, id nequaquam per fidem fieri posse. At ideo non probari, fatetur Becanus concedendo, de fide non agere hoc dictum, sed de beneficiis DEI externis. Ergò concludimus, neque aliquid pro fide, neque contra fidem in hoc negotio probari. Inquis : *addere autem Becanum, quod Salomon supponat, non posse hominem cognoscere per*

internam fidem. At hoc non erat supponendum, sed expressè ponendum ac dicendum, cum in eum finem adducebatur. Et quomodo etiam (stante nimirum suâ hypothesi ac hujus dicti interpretatione) id probabit? Nullo sanè argumento vel saltem in specie probabili ratione.

XXII. Nos quidem cum omnibus, Hebræa rectè intelligentibus ac vertentibus, statuentes, hoc dictum agere de Judicio alterius, facile cõcludimus, *supponi, per fidem de alterius salute vel gratia apud DEUM nos judicare & certo aliquid statuere non posse.* A priori enim & sic à fide iudicium de beatis ferre, solius DEI est. Is enim tantum novit hoc modo qui sunt sui. Atque sic omnino præsupponit iudicium ejusmodi fieri non posse per fidem. Quod verò nihil juvat opinionem Jesuitæ, sed contra ipsum probat sententiam nostram.

XXIII. Pergit Becanus §. 6. ad secundam suam responsionem: *Secundò, inquit, refellitur Calvinus ex illâ particula: Omnia in futurum referuntur incerta. At quomodo incerta omnia, si quis per noticiam fidei certus est, se diligi à DEO & non odium haberi.*

XXIV. Verùm Becanus falsum falso superstruit. Ut enim modò monuimus, illud *in futurum servantur incerta*, peccatum est Latini interpretis. Eo ergò nihil probatur. Non itaq; possumus non commendare candorem *Alphonsi de Castro*, qui cum primis editionibus arbitratus esset, aptissimum testimonium; postrema tamen recantavit & agnovit sensum esse: *Nemo aliquid horum scire potest ex consideratione rerum externarum, sive prospera sint sive adversa, quia hæc omnia possunt justo perinde ac peccatori contingere.* Et mox: *Rejecto ergo illo testimonio, propterea quod dubium est, & non convenit inter omnes de sensu illius, oportet aliunde capiamus testimonia.*

XXV. Hieronymi quoque versionem pro se allegavit Becanus. Sed cur concedam Hieronymi illam esse, cum videam suam à vulgatâ distinxisse, imò segregasse? Extant enim ejus commentarii in hunc Salomonis librum: in quibus gemina versio: *vulgata, & deinde alia, quæ ipsius Hieronymi propria*

pria est, utpote ad fontes Hebræos quam proximè accedens, & hunc locum ita exprimens, ut thesi. II. allegavimus.

XXVI. Tertia Becani responsio est: Tertiò, inquit, refellitur ex propriis verbis. Nam lib. 1. Institutionum cap. 2. §. 18. assignans causam, cur Deus nolit hominem cognoscere de seipso, an justus sit nec ne, sic habet: Id facit ad vanitatem humani ingenii arguendam, cum in rebus scitu maximè necessariis tanta hebetudine teneatur. At quomodo tenerur hebetudine, si habet certam & indubitatam notitiam fidei de suâ justitiâ & amicitia cum D & O. Hæc minimè inter se coherent. Nec mirum, quia ab hæretico prolata sunt.

XXVII. Respondemus primùm malitiosissimè & mendacissimè Jesuita Calvino pervertit sententiam. Audiamus ipsum sic scribentem. Unde sequitur, Deum non perpetuò testari amorem suum, quibus omnia succedere prosperè facit, neq; odium suum in eos semper prodere, quos affligit. Quorum sanè verborum sensus alius esse nequit, quàm, hæc ipsa prosperitas non est amoris Dei, afflictio non est odii indicium. Verbis porrò illis immediatè Calvinus subjicit, quæ à Becano allegata sunt; Idque facit ad vanitatem humani ingenii arguendam: quum in rebus scitu maximè necessariis tanta hebetudine tenetur. Hæc sanè optimè coherent. Testor enim, si quam habet, Jesuitæ conscientiam: assignatne hic Calvinus causam, cur Deus velit hominem cognoscere de seipso, an justus sit nec ne. Sanè nequaquam loquitur de ipso justo, sed aliorum de justo judicium, ex eventibus externis desumptum, nullum esse, dicit.

XXVIII. Pergit Becanus ad D. Pauli testimonium §. 7. inquit: Jam D. Pauli testimonium non minus efficax est. Mibi inquit, pro minimo est, ut à vobis judicer, id est, non magnifacio aliena de me judicia, quia scio, quàm sint incerta, sed neq; me ipsum judico, id est, nec meo judicio fidere audeo. Nam etsi nihil mihi conscius sum, non tamen in hoc justificatus sum, id est, non ideo justus sum, quia bonam

*nam conscientiam habeo. Fortasse enim Deus videt aliquid in mea
conscientia, quod ego ibi non video. Qui autem iudicat me,
Dominus est, d est, solus Deus est verus iudex, qui omnia novit.
Hactenus verba Apostoli.*

XXIX. *Hactenus, inquit Becanus, verba Apostoli: quod fal-
sissimum. Cum potius sint verba Jesuitæ Becani. Nam etiam-
si misceat quædam ex Paulo quoad apices & characteres exter-
nos: Non tamen illa, sed à Jesuita addita, propriè verba sunt
censenda: quippe quæ non juxta externam characterum faciem
sunt æstimanda, sed juxta sensus & sententias, quæ propriè ver-
ba constituunt. Quia igitur verba Becani auferunt sensum,
proprium Apostoli Pauli, & Jesuiticum substituunt; sequitur,
quod illa verborum Pauli fragmenta, verbis Jesuiticis inserta,
non amplius verba sint Pauli, sed Jesuitæ.*

XXX. *Deinde allegatio hujus dicti Spiritum vertigi-
nis in Jesuitis manifestò probat. Quippe qui aliàs concedunt,
Paulum fuisse certissimum de suâ salute, idq; ex singulari reve-
latione: quando verò allegant contra nos hoc dictum, id ipsum
negant. Mendacem oportet esse memorem. Sanè Sophistæ isti
non tantùm seipso mendaces faciunt, sed etiam Apostolum
Paulum contradictionis & sic mendacii insimulant: quippe
qui Rom. 8. v. 38 *Nam mihi persuasum est, inquit, quod neq; mors
neq; vita, neq; Angeli, neq; principatus, neq; potestates, neq; presentia,
neq; futura, neq; sublimitas, neq; profunditas, neq; ulla alia res creata,
poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino
nostro.* Et rursus 2. Tim. 1. v. 12. *Novi cui crediderim, & mihi persua-
sum est, eum posse depositum meum in illum diem servare.* Si igitur
hoc sibi persuasum habet Paulus, si novit cui credidit, quomo-
do loco allegato 1. Cor. 4. v. 4. dubitare poterit?*

XXXI. *Nequaquam igitur vel sibi contradicit, vel du-
bitat Paulus, sed Jesuita crassissimam committit ignorantiam
elenchi: minimè omnium enim negat Apostolus se certum
esse de suâ justificatione. Quomodo enim? cum hic nihil omni-
nò agat de justificatione: sed de officii sui fideli administratione.
Sensus enim est, *bona enim conscientia feci officium meum, non ta-**

men ex eo justificatus sum, hoc est, non omni propterea vitio me vacuum dicere possum. Nam justificari etiam hic est à vitio absolvi.

XXXII. Pergit Jesuita : Hinc colligunt Patres incertitudinem gratiae & remissionum peccatorum. Qui autem sunt illi Patres? nominentur. Ego nihil ejus invenio apud Ambrosium, nihil apud Hieronymum, nihil apud Chrysostomum, apud Theodoretum. Imò & Heimo & Thomas & ipse Gagneus hunc locum, ut nos, exponunt. Est veritas Jesuitica. Et si omninò essent, qui id facerent, pessimè facerent.

XXXIII. Persistit autem Jesuita in sua sententia. Et merito, inquit. Nam si Paulus fatetur, nec se, nec quenguam aliorum hominum scire, an ipse sit fidelis dispensator mysteriorum Dei, quod veniebat in questionem: Sanè & nos fateri debemus, neq; nos, neq; alium quenguam de seipso scire, an sit justus, & amicus D E I: Nisi Calvinista plura cognoscant de seipsis, quam de se Apostolus, quod non credo.

XXXIV. Falsissimum est, hic venire in questionem, an Paulus, an quisquam aliorum hominum sciat, quod sit fidelis dispensator mysteriorum Dei. Quandoquidem hoc sciebat Paulus, & se scire nequaquam negat. Sed perversum Corinthiorum de se judicium contemnit, quia secundum carnem pravoq; affectu ac sine verbo D E I judicabant. Deinde addit, quod seipsum quoq; judicare nolit, quam magnus aut parvus sit, quantaq; ejus dona: Et hujus v. 4. duas addit rationes. i. quia utut ipse sibi nullius malefacti post conversionem sit conscius, nec in se nisi optimum propositum reperiat, praesertim quod ad ministerium, in quo optima versetur conscientia, tamen Deus cernat ejus defectus, reliquiasque veteris Adami, nec ipsum adhuc ob illam suam innocentiam pro justo habeat, ac pronunciet. Nihil ergò hic locus contra nos arguit, sed Papistarum opinionem de infusa, & operativa justitia, qua illi justificari velint, confutat.

XXXV. Altera causa est: quia solius D E I sit judicare de omnibus, & solus ille omnium corda planè introspiciat. Bene autem notandum est, quod hic agatur de judicio excellen-

lentia personarum, quis majora dona dotesq; habeat, num ipse
Apostolus an Corinthiorum rhetorculi. Alias omnino unus-
quisque se in ipsum crebro judicare debet, an serio agnoscat
peccata sua, ac iram Dei ex lege, & an credat in Christum ex Ev-
angelio, an serio conetur pie vivere, & porro in singulis dictis
& factis, an ex fide & secundum verbum DEI agat. Verum
de hoc judicio hic nihil. Frustra ergo a Becano dictum hoc al-
legatur? Quandoquidem nihil minus hic facit Paulus, quam
quod fateatur se vel dubitare vel ignorare, an sit DEO recon-
ciliatus.

XXXVI. Addit §. 8. Becanus: *Sane Augustinus in Ps. 41.*
expendens verba Apostoli jam citata sic exclamat: Tantamne profun-
ditatem creditis in homine, quae lateat ipsum hominem, in quo est? Et
ibidem: Cor hominis abyssus est. Quid enim est profundius hac a-
byssu? Loqui homines possunt, videri possunt, audiri in sermone: sed
cujus cogitatio penetratur? cujus cor inspicitur? Et Sermon. 23. de
verbis Domini: Fortasse tu nihil invenis in conscientia tua, invenit
ille, qui melius videt. Et Hom. 35. Quamdiu vivimus hic, de nobis i-
psis nos ipsi judicare non possumus: non dico, quid cras erimus, sed
quid hodie simus.

XXXVII. In Psal. 41. Augustinus ne literam quidem
habet pro Becano: loquitur enim de imbecillitate humana, quae
satis profunda, imò abyssus est, ut ex hoc Psalmo Augustinus
loquitur: ac propterea monet & docet, ut nihil omnino nobis i-
psis tribuamus, sed minimos nos faciamus, & levemus animam no-
stram humiliter ad Deum, non speremus de nobis, sed de Domino. Illa
enim est spes certa ac firma, quae non confundit. Videatur ipse Aug.
Tom. 8. mihi pag. 380. C. D. & 381. & 382. Nota prima haec ejus
verba: *Ad me ipsum anima mea turbata est*
Nunquid à Deo turbatur? Ad me turbata est. Ab incommutabili refi-
ciebatur, ad mutabile perturbatur: novi, quia justitia Dei mei manet,
utrum mea maneat, nescio. Terret enim me Apostolus, dicens, qui se
putat stare, videat ne cadat. Ergo quia non est in me firmitas mihi,
(ubi jam justitiae habitualis sive inhaerens justitia?) nec est mihi
spes in me, ad me ipsum turbata est anima mea, Vis (NB.) non contur-
betur.

betur? Non (NB.) remaneas in teipso & dic: Ad te Domine levavi ani-
mam meam. Hoc plenius audi. Noli sperare de te, sed (NB.) de Deo tuo.
Nam si speras (NB.) ad te, anima tua conturbatur ad te: quia non
invenit, unde sit segura de te. Ergo quoniam ad me perturbata est a-
nima mea: quid restat nisi humilitas, ut de ipsa anima (NB.) non pra-
sumat? Quid restat, nisi ut omnino minimam se faciat, nisi ut se hu-
militet, ut exaltari mereatur? Nihil, (Arrigite aures Jesuitæ justi-
tarii) sibi tribuat, ut ei ab illo, quod utile est, tribuatur. Ergo, quia
ad me turbata est anima mea, & hanc perturbationem facit superbia:
propterea memoratus sum tui, Domine, de terra
Jordanis & Hermonim à monte parvo) unde memo-
ratus sum tui? à monte parvo, & de terra Jordanis. Fortè de Bapti-
smo ubi est remissio peccatorum. Etenim nemo currit ad remissionem
peccatorum, nisi qui (NB.) displicet sibi. Nemo currit ad remissionem
peccatorum: nemo se confitetur peccatorem, nisi humiliando se ipsum
Deo. Ergo de terra Jordanis memoratus sum tui, & de monte parvo,
non de monte magno, ut de monte parvo, tu facias magnum: quoniam
qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.

XXXIIX. Sententia hæc Augustini satis clara est. Ut
autem se explicat hic, respiciendo ad I. Corinth. 10. qui stat, vi-
deat ne cadat; sic eandem sententiam retinet in seq. respicien-
do ad dictum I. Cor. 4. ut manifestam erit illi, qui Augustinum
ipsum inspiciat. Longum enim foret, omnia ipsius verba (quæ
sanè emphatica, satis clara, & consolationis plena sunt, proin-
deque digna, ut ab omnibus diligenter legantur & perpendan-
tur) allegare, & huc ascribere velle.

XXXIX. Quod attinet abyssum: sic est, ita denominat
animam. Sed quomodo explicat abyssum illam? Audiamus
ipsum Augustinum, Abyssus abyssum invocat. Nam sub hac carne
mortali, laboriosa, peccatrice, molestis & scandalis plena, concupi-
scentiis obnoxia, damnatio quadam est de judicio tuo: quia tu dixisti
peccatori, morte morieris. Et addit postea, quod propterea per-
turbata sit anima sua. Abyssus ergo est animus, peccatis, &
quatenus illis obnoxius, ac propter illa iræ divinæ ac æternæ
damna-

damnationis reus, quæ homo pœnitens, seq; considerans intuetur, & sic in abyssum malorum introspicit, finemq; illorum videre nequit: proindeq; in se nihil invenit, quo à malis illis liberari queat; Ergò debet de se desperare, & totus in vera fide à Domino pendere, tanquam autore salutis suæ. Hæc est sententia Augustini, ut subsequencia satis clarè ostendunt.

XL. Miror, quâ etiam fronte allegare audeat Jesuita verba illa ex Augustini sermone 23. de verbis Domini. Explicat enim Augustinus parabolam de decem virginibus, quarum quinq; prudentes, denegant communicare de suo oleo fatuis, illas igitur introducit, se hoc modo excusantes. *Non nos damus (oleum) ne fortè sufficiat nobis & vobis. Vix enim de nobis judicamus, quantò minus de vobis possumus judicare. Quid est, vix de nobis possumus judicare? Quia cum rex justus sedeat in throno, quis gloriatur rectum se cor habere. Fortè tu nil invenis in conscientia tua, & invenit ille, qui melius videt, cujus acies divina penetrat altiora. Videt fortè aliquid, invenit fortè aliquid. Quantò melius illi dicis, dimitte nobis debita nostra &c.* Quis non intelligit, nihil omnino hic agere Augustinum de dubitatione, sed docere, quod nemo coram DEO possit ostentare castum suum cor, & sic suis operibus fidere, sed unicè debeat in misericordia DEI confidere. Nam paulò post omnem dubitationem tollit, quando sic pergit: *Dictum est, verum est, non fallaciter dictum est: Pulsate & aperietur vobis, sed modò quando tempus est misericordie, non quando tempus est judicii. Non enim possunt confundi ipsa tempora, cum misericordiam & judicium cantet Ecclesia; Tempus est misericordie, age pœnitentiam.*

XLI. Sic homilia 35. nihil quoque pro sententia Jesuitarum loquitur Augustinus. Hortatur ne laudem in aliena lingua quæramus, vel judicia aliqua de nostris actionibus curemus, propterea, quod sint fallacia, cum, *quamdiu hic vivim, inquit Augustinus, de nobis ipsis nos judicare non possumus, non dico quid cras erimus, sed quid hodiè simus: quantò minus debemus moveri judiciis alienis, quam de conscientia nostra, quæ nobis perhibet te-*

G

bet te-

bet testimonium. Nam gloria nostra debet esse conscientia nostra. Et paulò antè de virginibus fatuis dicit: Ergò stulta illa dièta sunt, quæ forinsecus quærebant laudem, non intus in conscientia habebant, ideò non portabant oleum secum, id est, qui laudem in aliena lingua non in conscientia sua volebant habere.

XLII. Ergò hæc est mens Augustini, Vana esse omnia hominum judicia de nostris piis actibus, proindeq; non curanda esse, imò neq; proprium, quod forsan erit de contingentibus futuris, quomodo illa ab hominibus acceptanda sint; tantum retinendam esse bonam conscientiam, quæ sola verum nobis perhibeat testimonium. Si autem hoc verum, si conscientia in piis datur bona, si illa in ipsis ejusmodi perhibet testimonium, in quo conquirere tutò possint, necessum est, ut sit certa, & minimè dubitet de illis, de quibus testimonium perhibet.

XLIII. Pergit Becanus. §. 9. *Similia habent alii Patres, sed Calvinus vult plus sapere quam ipsi. Nec desunt scriptura loca, quibus se defendat. Ac primum objicit illud Roman. 8. vers. 16. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii DEI. Ex quo videtur concludi, nos infallibiliter certos esse de justitia nostra, quia testimonium Spiritus Sancti infallibile est. Respondeo, Testimonium Sp. Sancti est duplex, alterum fit per revelationem, seu verbum expressum ex parte intellectus, alterum per experimentalem, quendam affectum & motionem ex parte voluntatis. De posteriori loquitur Apostolus. Neq; hoc facit, ut quis infallibiliter sciat, se à Sp. Sancto moveri, & DEI amicum esse. Nam aliquando Spiritus malus se transfigurat in Angelum lucis. Undè fit hominem falli ac decipi posse. Deindè, constet sanè homini, se impelli à Spiritu sancto: nondum constabit se eo modo affici, quo amici DEI afficiuntur. Nam & peccatores à Spiritu sancto interdum pulsantur & impelluntur. Hoc fatetur Calv. l. 3. Instit. cap. 2. §. 11. cum ait: *Experientia ostendit, reprobos interdum simili ferè sensu, atque electos affici, ut ne suo quidem judicio quicquam ab electis differant.**

XLIV. Respondemus primum nos facilè credere, alios patres similia habere, sed quid juvant Jesuitam? Neque Calvi-

Calvinus, sed Becanus plus sapere vult quam patres, cum ipsis
ejusmodi sententiam affingat, quam ne somniare quidem po-
tuerunt.

XLV. Deinde, quod distinguit Becanus inter testimoni-
um Spiritus Sancti, quod fit per revelationem sive verbum expressum
ex parte intellectus: Et alterum, quod fit per Experimentalem ali-
quem affectum & motionem ex parte voluntatis, addatq; de hac lo-
qui Spiritum Sanctum: quod verò non faciat, ut quis infallibiliter
sciat, se à S. Sancto moveri & amicum DEI esse. Respondemus,
primum, etsi concedamus, distinctionem primo loco positam:
non dum tamen demonstratum est, verba Pauli de posteriore
testimonio intelligenda esse. Imò negatur illud, si quidem te-
stimonium hoc est propriæ conscientiæ; manans à Spiritu san-
cto *πρωτως* in intellectum. Nam à testimonio hoc, & per il-
lud est postmodum experimentum suavitatis & pacis, ac sic
tranquillitas conscientiæ & voluntatis, imò ipsa oratio, qua
dicimus, Abba Pater. Quandoquidem hoc non supposito,
neque suavitas, neque pax neque ullum experimentum in corde
esse potest, ut neque oratio, nisi in summis labiis, & sic merè hy-
pocritica.

XLVI. Quando etiam Spiritus sanctus perhibet testi-
monium Spiritui nostro; quæ ratio persuasit Becano, testimo-
nium illud non esse certum? quia ferit voluntatem? Ergone plus
potest voluntas nostra ad Spiritus sancti testimonium corrup-
pendum, quam Spiritus vis ad corrigendam voluntatem no-
stram? Quod non pius, sed impius Jesuita concipiet. Quæ
enim vis supererit verbis Pauli, inquentis: *πνεῦμα συναλι-
λαμβάνει τὰς ἀδυναμίας ἡμῶν*: Sublevat, vel, ut verus inter-
pres vertit, *adjuvat infirmitates nostras*? Nihil minus est quam
sublevatio, si potius Spiritus sanctus supprimatur ab imbecil-
litatibus nostris. Absit verò hoc: vera enim & certa est hæc
sublevatio: Ergò etiam efficacissima: quia est omnipotentis-
simi DEI sublevatio: Ergò certissimum in nobis internum & a
priori perhibet testimonium, nos esse filios DEI: quo nullo
modo vel fallimur, vel incerti relinquimur, sed omnibus mo-
dis *ἀμετάπειτα* reddimur.

Q

Non

XLVII. Non negamus quidem, quod Diabolus se transformare possit in Angelum lucis, forinsecus homines aggrediatur; Quod verò propterea internum Spiritus sancti testimonium corrumpere valeat, minimè concedendum est: Quippe, quod fundatum est in petra, contra quam portæ inferorum non prævalebunt *Matth. 16. v. 18.*

XLVIII. Quando porrò dicit Becanus: *Constat quidem se impelli à Spiritu sancto: nondum verò inde constabit, se eo modo affici, quo amici DEI afficiuntur.* Hoc verò quid est aliud, quàm Spiritum sanctum mendacii accusare, cujus verba sunt luce meridiana clariora. *Ipsè Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quod simus filii DEI.* Sanè non ibit inficias Jesuita, quod, qui testimonium perhibet, etsi necesse sit, ut attendat rei, de qua testimonium reddit, veritatem: tamen hunc sibi potissimum proponit scopum, ut veritatem persuadeat illi, apud quem testimonium illud perhibet. Atque inde etiam testimoniorum distinctiones: Quod alia magis, alia minus apta sint ad persuadendum: non sanè certitudine objecti, quippe cui nihil addi, nihilq; detrahi potest illo testimonio: sed majus minusve testimonium dicitur, quod majus minusve momentum habet ad persuadendum id, quod se semper eodem habet modo. Quia igitur illud proprium sit testimonii, planum est, quod testimonii Spiritus S. momentum ad persuadendum, nos esse filios Dei sit maximum propter summam autoritatē & immutabilitatē testis, qui mēiri aut fallere nullo modo potest.

XLIX. Impios etiam à Spiritu sancto pulsari non negamus: id verò fit per vocationem. Maxime autem differunt pulsatio, hoc est, prima vocatio, & internum testimonium, quod de *yo Deo* in cordibus fidelium perhibet Spiritus sanctus. Pulsatio & vocatio illa fit sæpius ad homines infideles & reprobos, in quibus non sequitur fides: Verum hæc testimonii perhibitio fit in fidelibus, semperq; præsupponit fidem: quippe cujus confirmatio & obsignatio est.

L. Et tandem quomodo opinio reproborum tollet certitudinem piorum? Cur non (scribit Meyfartus) dicit, frigus Septem-

septentrionale obstaculo esse, quo minus populi sub zona torrida habitantes, habeant perpetuum calorem.

L. Paragrapho 10. pergit ad secundam objectionem nostram. *Secundò, inquit, objicit illud Rom. 8. v. 38. Certus sum, quod neq; mors, neq; vita poterit me separare à charitate Dei.* Respondeo. Non loquitur Apostolus de certitudine fidei, sed tantum de morali, quæ ex signis & conjecturis gignitur. Nam in Græco est *πεπεισμαι*, persuasus sum, seu confido. Unde etiam Ambrosius h. l. & Hieronymus Epistola ad Algasiam q. 9. non legunt certus sum, sed confido. Et ipse D. Paulus in eadem Epistola cap. 15. v. 14. utitur eodem verbo, cum dicit: *Certus sum fratres mei, quoniam pleni estis dilectione.* Ubi sanè non vult significare, se habere certitudinem fidei de dilectione Romanorum, sed moralem tantum persuasionem.

LII. Primùm falsam esse interpretationem Jesuitæ de morali persuasionem; Nostram contra exinde deductam conclusionem certam ac immotam demonstro hoc syllogismo: Quicumq; *ἀποδικνωσ* ex justificatione & sanctificatione concludit se esse in Christo Jesu, proptereaq; nullam sibi metuendam esse damnationem; itemq; certus est ex remissione peccatorum, Spiritus sancti inhabitatione, ejusdem testificatione, auxilio, infallibilitate divini decreti, divina protectione, Dei summa dilectione, gratuita absolutione, Christi satisfactione; ejusque ad dextram collocatione, & intercessionem; is non est moraliter duntaxat persuasus, sed est certus certitudine fidei; Atqui Paulus *ἀποδικνωσ* ex justificatione & satisfactione, de quibus egerat in præcedente capite, concludit se esse in Christo Jesu, proptereaq; nullam sibi metuendam esse damnationem. Rom. 8. v. 1. itemq; certus est ex gratiosa peccatorum remissione v. 3. 4. Spiritus sancti inhabitatione v. 9. 10. 11. ejusdem testificatione v. 16. auxilio v. 26. infallibilitate divini decreti v. 29. 30. divina protectione v. 31. Dei summa dilectione v. 32. gratuita absolutione v. 33. Christi satisfactione, & ad dextram collocatione & intercessionem v. 34. Ergò Paulus non fuit tantum moraliter persuasus, sed fuit certus certitudine fidei.

LIII. Deinde, quod attinet probationes, nullius sunt valoris. Nam licet Ambrosius legat *confido*, addit tamen statim, qualem confidentiam intelligat, sanè non moralem & cum dubitatione conjunctam, sed certam & firmam, inquit: *Confidentia hæc de sponſione Christi est, quâ promisit in tribulatione adjuvare sibi dicatam fidem &c.* Vide ipsum Ambrosium, & intelliges fraudes Jesuitæ. Totus enim noster est Ambrosius, & sententiam nostram miris modis confirmat.

LIV. Sic crimen falsi committit Bellarminus, allegatione Tom. III. Hieronymi, & ex eo responsionis ad undecim quæstiones Algax, ac in specie ad quæst. 9. Nam etsi legat *confido*: neq; tamen hic moralem ac dubitativam persuasionem eò intelligit; sed certam ac firmam fiduciam. Statim enim addit: *Si in Deum tanta est charitas, ut nec metu mortis, nec spe vitæ, nec persecutione, nec fame, nec nuditate, nec periculo, nec gladio possit separari à charitate ejus, etsi Angeli quoq; & potestates, & vel præsentia vel futuræ, & omnes cælorum fortitudines, & excelsa pariter & profunda, & universa simul creatura ei ingruat, quod nequaquam potest fieri, tamen non separetur à charitate Dei, quam habet in Christum Jesum: quæ est tanta mutatio, imò inaudita prudentia, ut pro charitate Christi, nolit habere Christum &c.* Ex his quis non intelligit, ex illo *Confido* Hieronymum nequaquam colligere aliquam Pauli dubitationem, sed immutabilem certitudinem & fiduciam. Vide ipsum Hieronymum & judica.

LV. Quod attinet locum Rom. 15. v. 14. nondum probatum est, quod ibi *confidere* significet persuasionem conjunctam cum dubitatione. Imò ipse contextus contrarium demonstrat, quod eo Romanensibus significare velit, se nequaquam dubitare, sed certissimum esse, quod sint pleni bonitatis &c. Deinde collatio quidem textuum, cum sola est, probabilem, sed non apodicticam rationem suppeditat. Hic Rom. 8. v. 38. contextus contrarium suadet ipse, & addi possunt similia loca innumerabilia, quæ nullo modo ac ratione negari possunt, ut Rom. 1. v. 16. *Non pudet me Evangelii Christi, potentia siquidem est Dei*

Dei ad salutem παντι τῷ πιστεύοντι, *omni credenti*, Et cap. 4. v. 3.
πιστεύοντι ἢ ἀβραάμ τῷ θεῷ: item v. 5. πιστεύοντι ἢ ἰπὶ τὸν δικαίον
τὸν ἀσεβῆ: v. 17. & 18. ὃς παρ' ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι πιστεύσει: v. 23. c.
9. v. ult. Luc. 8. v. 50. μόνον πιστεύσει & saluus eris & c.

LVI. Subjicit Becanus §. 10. tertiam objectionem:
*Tertio objicitur, inquit, illud 1. Cor. 2. v. 12. Nos autem non
Spiritus huius mundi accepimus, sed Spiritum,
qui ex Deo est, ut sciamus, quæ donata sunt nobis.*
Resp. Duplicia sunt dona Dei. Quædam gratia, quæ donantur in
hac vita, quædam gloria, quæ in altera. Nos hic disputamus de prio-
ri genere, Apostolus loquitur de posteriori. Sensus ergo est, nos à solo
Dei spiritu didicisse, quæ dona ab æterno Deus preparaverit nobis post
hanc vitam. Hoc patet ex verbis precedentibus, quæ sic habent: Ocu-
lus non vidit, neq; auris audivit, quæ preparavit Deus iis, qui diligunt
illum: Nobis autem revelavit Deus per spiritum suum.

LVII. Ita dividi posse dona Dei non minus inficias:
Quomodo v. probabit Becanus, Paulum hic tantum agere de
donis gloriæ, quæ nobis demum in altera vita dabuntur. Rectè
inspice ac perpende locum Paulinum Jesuita, & intelliges, i-
psam in genere loqui de utrisq; donis. Dicit enim *scimus, quæ
donata sunt nobis*: hoc est, quæcunq; donata sunt, scimus, nihil
excludit. Et dicet nobis Becanus vel alius quisquam Jesuita;
quomodo scire possimus dona gloriæ, si ignoramus dona gra-
tiæ, profectò, qui hæc ignorat, neq; illa scit, cum per hæc illa
sciamus, & certissima fiducia speremus.

LIX. Quarto pergit Becanus §. 11. objicitur illud 1. Jo-
han. 3. v. 14. *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam,
quoniam diligimus fratres. Et c. 4. v. 13. In hoc cognoscimus, quoniam
in eo maneamus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis.*
Et cap. 5. 19. *Scimus, quoniam ex Deo sumus.* Respondeo. Non loqui-
tur Johannes de notitia fidei, sed de conjecturali. Nam notitia fidei
fundatur in revelatione Dei ex parte intellectus. Ideò enim intellectu
assentimur alicui rei per notitiam fidei, quia à Deo revelata est. Noti-
tia

via verò, de quâ Joannes agit, non fundatur in revelatione, sed in signo seu affectu, quem in nobis experimur ex parte voluntatis. Ait enim nos scire, quod sumus translati de morte ad vitam, & quod in Deo maneamus, quia diligimus fratres, id est, quia experimur in nobis affectum charitatis circa proximos, qui affectus non potest esse, nisi à Deo. Unde subdit ibidem. Qui non diligit fratrem, manet in morte. Quasi dicat: Sicut ex præsentia amoris colligimus nos esse Dei amicos; ita ex defectu amoris, colligimus nos esse in morte, id est, in statu peccati mortalis. Ita verò quod hujusmodi notitia, quæ per internum experimentum habetur, non sit omninò infallibilis, patet ex iis, quæ dicta sunt ad primam objectionem.

LIX. Manifesta calumnia & depravatio verborum Johannis est. Admirationi enim, hoc est, dubitationi & odio mundi, opponit firmissimam ac immotam scientiam? Ne miremini fratres mei, inquit, si odit nos mundus: Nos scimus quoniam translati sumus &c. Quo Apostolus nos obliquè ad patientiam hortatur, ne odio mundi nos transversos rapi patiamur, ut par pari referre & nosmet ipsos vindicare cogitemus. Quam impatientiam hac consolatione retundendam docet, quod sciamus, nos translatos esse de morte ad vitam. Idq; confirmat effectu, nimirum quod diligamus fratres. Quæ probatio non est conjecturalis, ut sibi imaginatur Becanus, sed est demonstratio ab effectu immediato: à quâ fit regressus ad demonstrationem τῶν δεινῶν.

LX. Quandoquidem non de vulgari & communi dilectione agit Paulus, quæ etiam in Ethnicis & infidelibus invenitur. Sed de singulari, Christiana, solis Christianis propria, quæ à dilectione Dei pendet, & ab illa flectitur in proximum. Hæc verò præsupponit veram DEI agnitionem, & in ea fundata est; quæ etiam non nuda, sed conjuncta cum vera in DEUM fiducia existit: juxta illud Christi Joh. 17. v. 3. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum. Ergo qui sic diligit proximum sive fratrem: is quoq; diligit verum DEUM, cumq; una cum Jesu Christo, quem misit, cognoscit, idq; cum vera fiducia, qua hæres constituitur vitæ æternæ:
Atq;

Atq; sic manifestus est regressus & demonstratio τῆς διότι: quomodo ergo probatio hæc erit saltem conjecturalis & incerta? Nugæ sunt Jesuiticæ! est enim certitudo apodictica; proindeque verâ veræ fidei certitudine se certum esse hisce suis verbis & argumentis disertè dicit ac docet Paulus.

LXI. Quintam nostram objectionem subjicit Becanus §. 13. *Quintò obijcitur illud 2. Cor. 13. v. 5. Vosmetipsos tentate, si estis in fide. Annon cognoscitis vosmetipsos, quia Christus in vobis est nisi forte reprobi estis: Hinc videtur sequi, reprobos esse, qui non cognoscunt se esse in fide & gratia Christi. Et è contrario, quotquot prædestinati sunt, hoc cognoscere. Respondeo. Nihil convincit hic locus. Primùm, quia Apostolus loquitur tantùm de fide, non de justitia, quæ distincta sunt. Nec sequitur, eum, qui certus est de sua fide, consequenter certum esse de sua justitia. Secundò loquitur de Christo habitante in ipsis per gratiam sanctificantem. Hinc tertio apparet illum hortari Corinthios, ut tentent seipsos, si sint in fide, non quod cupiat singulos certos esse de sua fide, quam quisq; in se habet, sed quod velit eos attendere, annon credant Christum apud ipsos virtutes & miracula operari. Deniq; etsi daremus Apostolum loqui de fide & justitia cujusq; in particulari, nihil esset incommodi. Non enim dicit: Vos ipsi certi estis de fide & remissione peccatorum, & certè creditis, Christum in vobis esse, sed multò aliter: Vosmetipsos, inquit, tentate, si estis in fide. At quid opus est hoc tentate, si ipsi certi essent, se habere fidem, & esse justos coram DEO?*

LXII. Primùm respondemus concedendo, agere hoc loco Apostolum de fide: sed non de quavis, non de historica, neq; miraculosa: sed de illa, per quam Christus in nobis habitat, & efficax est, & per quam probi & justii efficiuntur. Quod sanè non fit, vel nudâ fide historica, vel etiam miraculosâ, ut tali; sed solâ fide justificante: Ubi ergò hæc fides est, ibi est justificatio: ubi hæc; ibi quoque

D

justitia

justitia est. Quare licet fides & justitia distinguantur : possunt tamen in nobis fide, ponitur etiam justitia. Quandoquidem relatè se habent, & fide justitia applicatur. Omnis ergo sequitur, & firmissima est consequentia : Qui certus est de sua fide, is quoque certus est de justitia : imò certior est hæc demonstratio, vel etiam æquè certa ac illa: *Sol lucet : Ergò dies est.*

LXIII. Deinde loqui Apostolum de Christo habitante in Corinthiis per potentiam & miracula, quæ apud ipsos faciebat, & non de Christo in ipsis habitante per gratiam justificantem, falsissimum est & somnium malè affecti Jesuitæ. Siquidem falsum est, solitos Christianos edere miracula, sed tantùm quosdam. At verò Paulus non jubet quosdam tentare se, sed omnes Corinthios. Quare loquitur Apostolus de illa singulari inhabitatione, per quam sunt non reprobi amplius, sed probi, & DEO placentes : quales sanè sine gratia justificante esse non possunt : Nam soli justificati non sunt vel non censentur coram Deo reprobi, sed probi. Jubet ergo Apostolus Corinthios semet ipsos examinare & probare, an nō sentiant, experianturq; tum in corde, tum foris in vita ac opere potentiam Christi, in ipsis per veram fidem habitantis : qui tum intrus per suum Spiritum, eos excitet ad preces, piamq; vitam, & in ipsorum corde clamet, Abba Pater : tum etiam foris honestas, piamq; affectiones in eis efficiat : quæ experimenta viventis Christi nisi in se sentiant, dicit eos esse reprobos.

LXIV. Sanè hæc conclusio non est conjecturalis, sed apodictica : Sumitur enim non tantùm à conjecturis externis : sed etiam ab interna vita, quam in nobis vivit Christus : & à virtute & potentia, per quam Christus in nobis habitans, in nobis est efficax. Hanc potentiam & vitam, indeq; fluentia experimenta, qui in se habent & sentiunt, ut necessariò sunt probi & justii : Sic qui illa in se non habent, nec sentiunt, necessariò sunt reprobi & injusti.

65. Quod

LXV. Quod autem Apostolus jubeat Corinthios, seipfos probare (non leviter tentare sed probare, inquam, *ἵνα δοκιμασθῶντες*, *δοκιμασθῶντες*) inde non sequitur, ut sibi imaginantur Jesuitæ, ipsos dubios fuisse de sua fide ac justificatione, idq; Apostolum hac sua admonitione significare voluisse: Sed (quæ est vera Justiniani interpretatio) monet Apostolus, ut Corinthii suam vocationem expendant, & munera divinitus accepta cognoscant, ex quibus intelligere possint, & quæ sit perceptæ fidei efficacia, & quod Christus in ipsis habitet. Et sanè si hæc cognitio esset incerta, nulla daretur probatio propriè dicta. Siquidem probatio verum à falso discernit: id autem non præstat, probatio facta incertum, & meras conjecturas relinquens: proindeq; ejusmodi probatio, nihil minus, quam probatio est. Ut hoc de argumento & dicto in præcedente disputatione 16. th. 28. & & seqq. usq; ad 36. egimus pluribus.

LXVI. De hinc pergit Becanus ad secundam partem quæstionis §. 14. *Sat multa*, inquit, *de prima parte. Sequitur altera pars, quâ assertit, nos certos ac securos esse de perseverantia.* Et refellitur primò, quia si nemo certus est de præsentis justitia, ut jam probavi, quomodo potest esse certus de perseverantia in justitia? Sanè, nemo certus est, se perseveraturum in bona fama, & existimatione, si dubius est, an habeat bonam famam & existimationem. Secundò, quia Scriptura hortatur nos ad timorem, non ad securitatem. Rom. 11. v. 20. Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time. Philip. 2. v. 12. Cum metu & tremore salutem vestram operamini, Psalm. 2. v. 11. Servite Domino in timore; Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa. Hic clamabunt Calvinistæ; Davidem esse Papistam, & insanire, quod jubeat ipsos esse in timore, se verò securos esse in vita æterna; non posse perire de via justa; nec DEUM irasci posse prædestinatis.

LXVII. Respondemus primùm, neminem certum esse de præsentis justitia, probasse Becanum, negamus; o-

stendimus nos contrarium : penes æquum lectorem sit iudicium : Deinde nos Lutheranos non pro securitate, sed certitudine disputare, simulq; distinguere inter timorem servilem & filialem. Quorum ille non est in dilectione: sed perfecta dilectio expellit hunc timorem 1. *Johan. 4.* Hic nempe timor filialis est quoad DEUM filialis reverentia, qua illius præcepta observamus & dicimus, sicut oculi ancillæ in manibus Dominae suæ; ita oculi nostri in manibus DEI nostri. *Psal. 122.* Respectu autem Diaboli, qui circuit, ut leo rugiens, est vigilantia securitati opposita. *Ephes. 2. 1. Pet. 5. 2. Cor. 11.* respectu deniq; mundi & propriae carnis, quæ facile nos decipere potest, est prudentia opposita superbiæ & confidentiæ, qua metuimus, ne fortè relicta promissione introëundi in requiem DEI, deseramus. *Ebr. 4.* Si enim stas fide, noli altum sapere, sed time. *Rom. 11.* Hic ergo timor cum amore filiali stare simul potest. Quod autem Apostolus Paulus de timore filiali agit, manifestum est, cum eosdem Philippenses cap. ult. jubet nunquam non lætari. Inquit enim: *Gaudete semper, & iterum dico gaudere.* Et *Rom. 6. v.* timorem filialem cum certitudine fidei cōjungit. Vult ergo Apostolus ac monet loco allegato ita timendū esse, ne gaudiū illud, quod ex certitudine fidei & τῆς ἰσχυροῦς Spiritus exurgit, extingatur; neque fidelis ille timor DEI ex corde excutiatur. Quemadmodum & David *Psalmo 2. v. 11.* hortatur, de eodem timore filiali agens, qui certitudini Justificationis nequaquam, sed tantū securitati adversatur. Non ergo David Papista, sed bonus Lutheranus est.

LXIIIX. Parag. 15. *Et argumentantur, (inquit Beccanus) hoc modo: Quicumq; orat pro dono perseverantiæ, certò debet credere se accepturum perseverantiā: sed omnes fideles orant pro dono perseverantiæ: Ergo &c. Major patet ex illo Jacobi 1. v. 6. Postulet autem in fide nihil habitans. Hic jubemur petere à Deo sine hesitatione: Ergo jubemur esse certi, nos impetraturos quod petimus.*

69. Major

LXIX. Major etiam sic probari potest. Quia donum perseverantiæ est ex numero illorum, quæ in nomine Christi petita, simpliciter se daturum promisit. Qui ergo in nomine Christi petunt id, quod simpliciter se daturum Deus promisit, illi quoque certò debent credere, se illud ipsum certò accepturos, *Matth. 18. v. 19. & 21. v. 22. Job 16 v. 23. 1. Job. 5. v. 14. & 15. Jacob. 4. v. 3.*

LXX. *Respondeo (pergit Becanus) hac duo distinguuntur, credere sine hesitatione, Deum posse prestare, quod petis: Et credere sine hesitatione, Deum reipsa præsaturum, quod petis. Illud prius tenemur absolutè credere: hoc posterius cum conditione, si nimirum ex parte nostra non sit defectus, vel si visum est expedire. Hoc patet exemplo Pauli, qui non hesitavit fide, quomodo ter Deum negavit ut liberetur à piaculo carnis, & tamen reipsa non impetravit.*

LXXI. Initio concedimus, distincta illa esse, quæ distinguenda à Becano afferuntur: Uti etiam largimur, prius absolutè credendum esse: posterius verò omne sine exceptione cum conditione ac sic cum dubitatione credi debere, nequaquam concedendum est. Nam inter illa, ut monuimus, sunt bona spiritualia & æterna, quæ Christus sine ulla conditione & sic simpliciter promisit, se credentibus daturum: Ideoque illa nos accepturos absolutè & sine ulla hesitatione credere tenemur. Deindè licet ex nostra parte sit maxima imbecillitas, fortis tamen est is, qui in nobis habitat, nempe Spiritus sanctus, qui est Spiritus precum, & clamat in cordibus nostris, Abba Pater. Quare si in Spiritu & veritate Johan. 4. v. 23. nostræ preces instituuntur, non esse in illis potest defectus, qui exauditionem impediatur. Tertiò quod exemplum Pauli attinet, nihil illud facit ad rem: Nam liberari à stimulis carnis, est liberari ab eo, quod pertinet ad conditionem hujus vitæ; ideoque etiam cum conditione petendum, & exauditio credenda.

LXXII. Pergit Becanus: *Quæres, quomodo ergò verum est illud Marci ii. Quæcunq; orantes petitis, credite, quia accipietis? Respondeo: Hoc verum est sub conditione si benè petamus, & si nobis expediat. Et quidem expedit, habere perseverantiam: non tamen semper benè jam petimus. Quare, quia nemo bene petit perseverantiam, nisi qui eam petit perseveranter usq; ad finem vitæ; At quis certus est, se perseveranter petiturum.*

LXXIII. Totus nervus hujus discursus consistit in eo, quod simpliciter neget Becanus ultimis verbis, *aliquem certum esse posse, quod perseveranter sit petiturum.* Sed est fallacia à dicto secundum quid, itemq; causæ: Concedimus quidem libenter, quòd homo fidelis ex propriis viribus, se perseveraturum in ardenti ac seria petitione & sic vera fide, certò non sciat; sed ex DEI misericordia, veritate & potestate, testimonioque Spiritus sancti indubitanter sciat.

LXXIV. His subjungit Becanus §. 16. tertiam partem hujus quæstionis, quæ est *de certitudine prædestinationis & vitæ æternæ.* Hæc, inquit, eodem modo refutatur. Si enim certò nescias, te perseveraturum in gratia: quomodo certò scias te salvum fore & prædestinatum esse? Et sanè si unicuiq; fideli certo constet, se ad vitam æternam esse prædestinatum, cur non abjiciat omnem timorem, & sollicitudinem, præsertim cum prædestinatio mutari aut falli non possit?

LXXV. Respondemus, ut est eadem hæc refutatio cum præcedente, sic quoque illam eadem nostra responsione tollere nos posse. Continet autem in se duo argumenta. Primum. *Quicumq; certò nesciunt se perseveraturos in gratia, illi non possunt scire se salvos fore & prædestinatos esse: Atqui omnes fideles certò nesciunt se perseveraturos in gratia &c.* Ergò nulli fideles scire possunt se salvos fore, prædestinatos esse. Negamus itaque minorem. Fidelis enim, ut talis, non potest ignorare se perseveraturum in gratia. Nam licet id ut homo, carnalibus imbecillitatibus subjectus, & sic ex propriis

priis viribus, non sciat: ex Dei nihilominus misericordia, & caritate, bonitate ac potestate apodicticè concludit, indeq; firmam ac immotam desumit scientiam, quam Spiritus sanctus testimonio suo certissimo confirmat & obsignat.

LXXVI. Secundum ita rectè formatur. *Cui certò constat, se esse ad vitam aeternam predestinatum; ille non potest non abjicere omnem timorem & sollicitudinem: At qui nullus fidelis potest abjicere omnem timorem: Ergò nulli fideli certò constat, se esse ad vitam aeternam predestinatum.* Majorem probat. *Predestinatio enim mutari non potest.* Respondemus distinguendo inter timorem servilem & filialem. Si ergo major loquatur de timore filiali, negamus illam: ratio desumitur ex illis, quæ modò de filiali amore diximus: Concedimus contrà minorem: Quia autem major falsa est: Major terminus cum minore in conclusione negativè disponi non potest. Si verò intelligenda est major de timore servili, eam concedimus, & minorem veram esse pernegamus. Siquidem nullus timor servilis verè fideles afficit: quod dudum testata est satis animositas & fortitudo martyrum, tum veterum, tum recentium: Et Pontificii ipsi non possunt non mirari summam constantiam nostrorum, nempe verè fidelium, quos passim in Hispania, Italia, Gallia, Germania, & alibi ad crudelissima supplicia rapuerunt: Uti hodieq; mirantur, quod Lutherani nostri placidè sine omni timore moriuntur: è contrario verò qui in complexu Ecclesiæ Pontificiæ extremum vitæ Spiritum edunt, sibi injecto terrore mortis & ignis fatui horrescunt, totaque mente atque omnibus artubus contremiscunt, & sic ipsorum anima,

Vitaq; cum gemitu fugit indignata sub umbras.

Nempe hic fructus est dubitativi istius dogmatis.

LXXVII. Interim si vel maximè concedamus contigisse, ut nonnullis quoque Lutheranis mortis timor insolitus incesserit; pervenit tamen ille ab infirmitate humana, quæ suæ natura reformidat mortem: Nulla autem est consequen-

sequentia : Lutheranis hoc humani potest contingere , ut mortem metuant. Ergò incerti sunt de sua justificatione, & salute. Nulla, inquam, est hæc consequentia : Quandoquidem etiam ipse Christus affectus dolore & mœstitudine ob imminentem passionem , & cum terroribus mortis luctam sævissimam, lamentans inquit : *Tristis est anima mea, usq; ad mortem* : imò tanta fuit hæc tristitia, ut etiam Angelorum solatio indigeret, quin & hominum, Moïsi & Eliæ, qui cum ipso de hac passione conferentes in monte sancto confortabant eum, ut sub indubia spe gloriosissimæ victoriæ, hanc cum Satana, morte & inferno dimicationem susciperet. Hoc Christi exemplum, si contingat ut & nos Lutheranos ex poculo illo amaritudinis haurire oporteat, semper in memoria & conspectu habemus, & solamur nos, quod Christus potum istum prægustavit & in calicem salutis immensâ bonitate convertit : rursusque ipsius exemplo in hujusmodi tentationum agone confugi- mus ad preces, & poculum illud sic petimus averti, ut interim cum Christo dicamus, *fiat voluntas tua*, nihil dubitan- tes, Deum, fidelis cum sit, non permissurum, nos supra vires tentari, sed facturum cum tentatione eventum *1. Cor. 10.* idq; propter meritum angustiarum & precum filii sui, quas multis cum lachrymis & clamore valido obtulit Deo, & exauditus est pro reverentia *Hebr. 5. v. 7.*

LXXIIX. Tandem Becanus quæstionem hanc con- cludit §. 17. *Objiciunt*, inquit, *illud 1. Job. 5. v. 13. Hæc scribo vobis, ut sciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine filii Dei. Respondeo : Qui credunt, habent vitam æternam in spe, non in re, juxta illud Rom. 8. v. 24. Spe salvi facti sumus. Ut autem re ipsa accipiant vitam æternam, opus est perseverantia, juxta illud Hebr. 3. v. 14. Participes Christi facti sumus, si tamen initium substantiæ ejus usq; ad finem firmum retineamus.*

LXXIX. Respondemus tantum abesse, ut isthæc dubitationem Pontificiam stabiliant, ut illam funditus pervertant, & nostram fidei, justitiæ ac æternæ salutis certi- tudi-

tudinem miris modis confirmet ac stabiliant. Nam dictum, ex Canonica Johannis allegatum, continet epilogum totius ejus epistolæ, docens, quo fine consilioq; suscepta sit, nempe ut confirmati doctrina, inibi proposita, sine omni dubitatione sciant, quod vitam æternam habere debeant, credendo in Christum. Si ergò verbo DEI confirmati sine omni dubitatione sciamus nos esse hæredes vitæ æternæ: quomodo dubitabimus? cum dubitatio omnis per certitudinem scientiæ planè tollatur: & ubi ejusmodi scientia est, dubitatio vel minima locum nullo modo habere queat.

LXXX. Habere autem nos vitam æternam, quàm diu in hâc mortali vita sumus constituti, tantum in spe, nondum in re: idq; docere Paulum allegatò loco ex epist. ad Rom. ambabus manibus largimur. Quid autem indè colligit Jesuita? sic vult argumentari: *Quod habemus in spe & non in re, de illo adhuc est dubitandum: vitam æternam habemus in spe, non in re: Ergò de vita æterna est dubitandum.* Negamus majorem: utpote quæ nequaquam dicto Paulino confirmatur. Quandoquidem Apostolus spem non opponit certitudini & scientiæ veræ ac infallibili; sed perfectæ possessioni ac fruitioni rerum præsentium, nempe (de quibus hoc loco agit) cœlestium bonorum. Quod subsequentiâ verba satis manifestè evincunt ac docent, quibus addit Apostolus: *spes, si videatur, non est spes*: quasi dicat, ea quæ sperantur, nondum coram cernuntur, & è contrariò quæ coram videntur, & præsentî possessione tenentur, ea non opus est, tanquam futura seu absentia sperare.

LXXXI. Concludit igitur, gloriæ filiorum Dei revelationem per obedientiam expectandam esse sub spe; non quidem ancipiti ac dubia, qualis est rerum humanarum, ut fingit Becanus & Socienni: sed certâ ac firmâ, ac planè indubiâ, cui eventus & res sperata certò respondeat: nempe quæ sperantem non confundat, aut pudefaciat, ut ipsemet Paulus spem hanc antea definiverat c. 5. v. 5. *spes non*

E

confun-

confundit. Illis enim verbis tacita inest ἀντιθεσις spei Christianorum, quæ non fallit; & spei terrenæ, quæ sæpissimè sperantes decipit. Imò non tantùm ad spei hujus certitudinem confirmandam hac tacita antithesi uti voluit Apostolus: sed etiam causam statim addidit, propter quam Christianorum spes sit certa; quia nimirum immoto innititur fundamento, charitate Dei, quæ non modò in nos sit effusa opulenter, sed per Spiritum sanctum quoq; velut certissimo sigillo in cordibus obsignata. Et porrò, ne quis de amoris Dei ergà justificatos certitudine ambigeret, eadem signis ab effectibus & comparatis ostendit v. 6. & seqq. ut ita omnem omninò dubitationem ac incertitudinem ab hac spe amoveret, illamq; certissimam ac infallibilem demonstraret.

LXXXII. Quod etiam juxta dictum Epistolæ ad Hebræos, perseverantiâ opus, si re ipsâ vitam æternam accipere velimus, neq; id à Lutheranis negatur, optimè perpendicularibus admonitionem Christi, *Qui perseveraverit usq; ad finem, salvus erit,* Matth. 10, 22. & c. 24. v. 13. sed quid inde? Ergò perseverantibus illis dubitandum est de suâ salute? Jesuitica hæc est consequentia, non Christiana & Evangelica. Perseverantia enim illa nequaquam conjunctam habet dubitationem; sed firmam ac immotam certitudinem, Atq; sic explosam esse Becani incertitudinem, quilibet pius ac veritatis amans intelligit.

LXXXIII. Cæterum quæ hæctenus de quæstione hac disputavimus, ea duntaxat pro nostra sententia, quæ nobis & Calvinianis de certitudine gratiæ & justificationis communis est, disputata & dicta sunt: non autem pro singulorum argumentorum scopo: ubi sanè cum illis per omnia facere non possumus.

F I N I S.

Ad



Ad

Præstantissimum atque Eximium

Dn. RESPONDENTEM, Amicum & favi-
torem meum ætatem colendum.

H *Aud certum reddit credentem hoc orbe salute
De propriâ Christi sanguine nixa fides:
Dignus amore odione sit, inscius heret ubiq;
Clarâ hoc cum rasis voce Becanus ait.*

Monstrum horrendum, informe, ingens! sic dixerat
Descriptor formæ, qui Polypheme tuæ. (olim
Sed placuit priscis portenta hæc fingere, nostro
Seclo non opus est fingere, vera vides.

Aspice prolatum *Jesuitæ* dogma, videbis
Horrendum monstrum, quod fugit omne bonum.
Toxica quod spargit centum, sacra quæq; venenans
Mortis agone, malis quod dare terga jubet.

Discutis hoc monstrum, *Martino* præside, *Lebmanne*
Ex sacris, pergas præmia digna feres.
Nos *Jovam* oremus, ne justâ percitus irâ,
Extingui verbum, detve sinatve suum.

Verbum hoc Papa suis tentans extinguere monstris
Summe Parens, verbi vi cadat & pereat.

Nos *Jovam* oremus *Martinum* ut servet in annos,
Noxia quò Papæ tollere monstra queat:

Vivat *Martinus* magnus, quæ splendet in ipso
Gratia, lucretur plurima corda DEO.

Gratulabundus

deproperabam

M. JOHANNES Borneman
Halberst. Saxo.

Blatt 100 verso

100

H

Gratias agimus tibi Domine
Dei Filius qui tuum
sanguinem pro peccatis
mundi effudit. Et
in spiritu sancto
et in aqua
baptizati in remissionem
peccatorum salutem
habemus. Et in
spem resurrectionis
gloriamque futuram
per te Domine
Dei Filius
petimus. Et
in te Domine
Dei Filius
confidimus. Et
in te Domine
Dei Filius
vivimus. Et
in te Domine
Dei Filius
speramus. Et
in te Domine
Dei Filius
credimus. Et
in te Domine
Dei Filius
amamus. Et
in te Domine
Dei Filius
gloriamus. Et
in te Domine
Dei Filius
vivimus. Et
in te Domine
Dei Filius
speramus. Et
in te Domine
Dei Filius
credimus. Et
in te Domine
Dei Filius
amamus. Et
in te Domine
Dei Filius
gloriamus.



99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092




SB

Repro

VD 77







32

SECUNDI Confessionem

ARTICULO XVII.

mens
ARTICULI IV.
STIONE,

fideles certi

justitia,

Academia VVittebergensi

ordinariæ

osita,

S I D E

MARTINI, SS. Th.

mario, Facult. Theol.

li Arcis Præposito:

NDENTE

D Lehman Oschatzensi

& Elector. alumno.

ri ad diem 11. Febr.

meridianis.

allat. 5. vers. 12.

r, qVI Vos InqVIetant.

BERGÆ,

IS AYERBACH, Acad. Typogr.

